



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quām extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Casus I. Argumentum. De requisitis necessariis, ad hoc ut Ecclesia  
teneatur præstare alimenta Patrono.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](#)

## ARGUMENTUM.

De requisitis necessariis ad hoc, ut Ecclesia teneatur præstare Alimenta Patrono.

## SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia ad hoc, ut teneatur præstare Alimenta Patrono, que requirantur?
- 2 Patrono ad inopiam ex propria culpa redacto, aut habenti aliunde vivere, non debentur Alimenta ab Ecclesia.
- 3 Patrono Egeno ad petenda Alimenta que actio non competit?
- 4 Alimenta ubi præstanta sint Patrono?

## CASUS I.

**T**Itius Patronus Ecclesiae A. cum consumisset totum suum Patrimonium, propriâ culpâ redactus fuit ad inopiam; & licet haberet fratrem Divitem, a quo ali poterat; tamen petiit à dicta Ecclesia Alimenta. Quæritur, an prædicta Ecclesia teneatur præstare Alimenta. Titio?

Et respondetur negativè; quia ad hoc, ut Ecclesia teneatur præstare Alimenta Patrono pluræ requiruntur.

Primo scilicet requiritur supereffluentia, seu superfluitas redditum Ecclesiae; quod scilicet supersint fructus, deductis omnibus necessariis tam pro Beneficio, quam pro Beneficiato. *Gloss. in hoc cap. Quicumque Verb. Ad inopiam. Abb. in cap. Nobis de Jurepatr. num. 6. Lambertin. eodem tract. lib. 3. quæst. 3. art. 2. Lotter. De re Benefic. lib. 2. quæst. 5. num. 18. Gratian. discept. 552. num. 11.*

Secundo, quod Patronus redactus sit ad magnam paupertatem, & quidem absque propria culpa; quia egestas, quæ proponitur, ad instruendam actionem, ita ut alteri noceat, debet probari cum hac circumstantia, quod contigerit sine culpa, indignum est enim ei subveniri si culpa sua eget. *Gloss. in cap. Quæ in Ecclesiastarum. Verb. Ad inopiam de Constit. Lambertin. ubi supra art. 3. Lotter. in dicta quæst. 3. num. 33. Rota decisi. 594.*

Tars I.

num. 2. divers. Apud Farinacc. Gratian. ubi supra num. 11.

Tertiò, quod non habeat, unde vive-re possit aliunde: unde Patrono, qui est Professus in aliqua Religione, qui habet fratrem Divitem, qui, salvâ honestate, po-test sibi viatum ex industria querere, in casu egestatis non debentur Alimenta ab Ecclesia, juxta Lambertin. Lotter. Grat. supracitat. Rot. decisi. 594. num. 3. par. 4. divisor.

Quarto requiritur consensus Episcopi; Rector enim sine consensu Episcopi, sponte suâ non potest subvenire Patrono egen-ti, ea ratione, quia Episcopus debet co-gnoscere, an reverâ adsit Paupertas Pa-troni, ne detur collusio. *Innocen. in cap. Cum, & plantare num. 2. de Privil. Surd. de Aliment. tit. 7. quæst. 32. num. 20.*

2 In casu presenti: Titius licet probet concludenter egestatem, licet decur supereffluentia redditum Ecclesiae; tamen quia redactus est ad inopiam ex propria culpa, & habet unde aliunde possit ali, secundum auctoritates allegatas non de-bentur illi à dicta Ecclesia Alimenta; si-cuti Libertus non tenetur præstare Ali-menta Patrono, nisi deductis prius nec-es-sariis pro se; & in casu, quo Patronus non habeat unde aliunde vivere. *L. si quis à liberis \$ Solent ff. de Liber. agnoſen.*

3 Concurrentibus his omnibus requisitis competit Patrono Egeno actio de Canone *Quicumque ad petenda Alimenta ab Ecclesia;* sicuti ad petendos alios fructus Jurispatronatus competit eidem actio ex Canone, juxta Lambertin. & alios apud eum relat. lib. 3. quæst. 3. art. 7. Non obstat Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 5. num. 10. ubi sentit Patrono ad petenda Alimenta non competere nisi simplex officium Ju-dicis, motus ex L. *Quod si minor in fine ff. de Minor. L. prima eodem tit. quia ista Jura loquentia de Alimentis præstandis à Filio Patri, aut à Patre Filio, aut à Li-berto Patrono, dirigunt Verba ad Judi-cem, quo casu debet dari officium Ju-dicis; Jura autem Canonica scilicet Text. in supradicto Canone *Quicumque,* & in Canone *Nobis de Jurepatr.* de quo infra, loquentia de Alimentis præstandis ab Ec-clesia Patrono, non dirigunt verba ad Ju-dicem. Unde illa non debentur ex officio*

C

Ju-

- Judicis; maximè cum Ecclesia, concurrentibus dictis requisitis, non solum sit obligata præstare Alimenta Patrono obligatione naturali Antidorali, sed etiam obligatione ex Canone. Roland. conf. 5. num. 11. tom. 3. Vivian. de Jurepatr. lib. 1. cap. 2. num. 20. Rot. coram Pan. decis. 591. num. 7. & decis. 660. num. 2. & decis. 691. num. primo, & coram Cavaler. decis. 321. num. 3.
4. Et quidem, concurrentibus præfatis requisitis, Ecclesia tenetur præstare Alimenta Patrono in Domo propria ejusdem Patroni, ut nos docent Butr. in cap. Nobis de Jurepatr. num. 24. ibique Barbo. num. 7. Surd. de Aliment. tit. 4. quæst. 14. num. 2 I.

## ARGUMENTUM.

Patrono Egeno debentur Alimenta, non deductis necessariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere de aliis Beneficiis.

## SUMMARIUM.

1. Alimenta an debeantur Patrono Egeno, deductis prius necessariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere? & num. 3.
2. Clericus non tenetur militare propriis stipendiis, sed debet de Altari vivere.
4. Reditus Ecclesiae superflui dispensandi sunt Pauperibus.

## CASUS II.

**Q**uidam Patronus cum redactus fuisset ad inopiam; non obstante, quod detractis omnibus necessariis tam pro Ecclesia Patronali, quam pro victu ejus Rectoris, nihil de fructibus dictæ Ecclesiae supererisset; adhuc tamen petiit Alimenta ab Ecclesia eo sub motivo, quod non debebant detrahi necessaria pro victu Rectoris à dicta Ecclesia; eo quia ipse habebat aliunde vivere; unde queritur: An Patrono Egeno debeantur Alimenta, deductis prius necessariis pro victu Rectoris Ecclesiae Patronalis, quando iste habet aliunde vivere?

1. In hac quæstione procedendum est cum distinctione. Aut Rector Ecclesiae Patronalis habet aliunde vivere præcisè de bonis Patrimonialibus, & tunc non debentur Alimenta Patrono Egeno, nisi prius deductis necessariis pro victu Rectoris,
2. quia cum Clericus sit Miles Dei, non tenetur militare de suo Patrimonio, & propriis stipendiis, sed debet de Altari vivere, juxta Abb. in Can. Episcop. de Præben. & Dignit. & Text. in cap. Charitat. tem 12. quæst. 2. ibi. Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodarunt obsequium. Fagnan. in cap. Si quis sanè de Pecul. Cleric. num. 6.
3. Aut Rector habet aliunde vivere de aliis Beneficiis, & in hoc casu debent præstari Alimenta Patrono, non deductis ab Ecclesia Patronali necessariis pro victu Rectoris. Ratio est, quia cum de aliis bonis Ecclesiasticis Rector habeat victum, fructus Ecclesiae Patronalis non sunt necessarii pro ejus substantiatione; adèque dandi sunt pro alimentis Patrono Egeno,
4. cum reditus Ecclesiae superflui, & superfluentes dispensandi sint Pauperibus juxta Text. in cap. Quoniam 16. quæst. 1. Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 3. art. 4. Ventr. in prax. de Jurepatr. annot. 1. §. 4. num. 35.

## ARGUMENTUM.

An Patrono extraneo debeantur Alimenta in casu inopiarum: & quid si Patronus sit Persona ficta, nempe Communitas, aut Collegium?

## SUMMARIUM.

1. Jus Alimentorum est onerosum Ecclesiae.
2. Donatarius tenetur alere Donantem, & non hujus heredem extraneum.
3. Benefaciens benefacere debemus.
4. Jus Alimentorum est personalissimum.
5. Alimenta in casu inopia debentur Patrono extraneo; num. 11.
6. Communitas an sit capax Alimentorum?

7 Ec-